



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Refero aliquas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

definiunt nil novi juris supra Tridentinum concessisse; & omnia privilegia revocata; & omnes tales confessiones irritas, & invalidas; & omnes oppositas interpretationes esse reprobatas, & damnatas: ergo certâ fide hæc omnia tuenda sunt. Vid. P. Card. disp. 2. a n. 188. P. Moyam tom. 1. tr. 3. d. 8. qu. 8. a n. 24. P. Nogueir. d. 20. sect. 4. P. Bardi 1. p. pag. 52. Felicem n. 3446. P. Mend. d. 20.

Nil porro est, quod miretur M. Hozes à me relatus disp. 22. n. 180. & Andreas à Matre Dei, ille Carmelita Calceatus, hic Discalceatus, uterque doctus; quod nostri Doctores, P. Moya, P. Mendo, P. Bardi, P. Nogueira, & alij, omnes uno ore, & calamo testentur, quod opinio asserens, Cruciatam favore Regularibus quoad absolutionem, sit certò improbabilis, falsa, temeraria, scandalosa, & maiori censurâ digna; etenim, si Decreta considerentur, non aliter dici potest, salvâ Pontificum definitione.

SECTIO IV.

Aliqua confessiones ex absolutionis nullitate invalidæ.

§. I.

Refero aliquas.

SUMMARIUM.

Judicij Pontificij supereminetia in Tridentini intelligentiâ, n. 80.

Adversariorum Interpretum fundamentum prorsus nullum, ibid.

Moderni Confessores debent longè plura scire, n. 81.

Refero plures confessiones ex nullitate absolutionis invalidas, n. 82.

Invalide absolvit approbatus à Diocesano antecedenti, resistente Episcopo sequenti, n. 83.

Legis verba à sine legis distinguenda, ibid.

P. Suar. ait, quod mens legis cognita, sit verbis legis preferenda, ibid.

Pontificum finis, n. 84.

Qui errare in hac materiâ non vult, sequatur opiniones juri Episcoporum faventes, n. 85.

Exemptio à Confessariis prætensa absolvendi sine Episcoporum, aut Prelatorum Regularium approbatione, ruina saculi, & claustrij, ibid.

Harmonia Ecclesiasticæ Hierarchiæ in subordinatione consistit, n. 86.

Expono, ibid.

Quid Romanus Pontifex, quid Ecclesia Romana? Ibid.

Pontificis definitiones sunt sonus in omnem terram, ibid.

Pontificia infallibilitas nulli est Generali Concilio

convenit, ibid.
Nil prodest, quod Confessor sit approbatus ab alio, n. 87.
Est temerarium asserere satis approbatus à Diocesano anteriori, n. 88.
DD. mecum sentientes, n. 89.

Dixi, quòd si Tridentini mens fuisset N. Theologis æquè nota, ac fuit Pontificis Successoribus, qui clariori Spiritus luce illuminati uno ore clamant, suas Bullas Tridentino inhære, ita ut opiniones, quas aliqui expressis verbis damnant, ab ipso prius Tridentino prædampnatæ intelligi debeant, nec ulla Theologis data fuisset aia, laxa interpretationibus Tridentini mentem eludendi, nec ullum datum fuisset motum Pontificibus, repetitis centuriis, & novis Decretis damnatas aliquas de novo toto conatu exterminandi. Puidum sane fundamentum, ex eo quòd Tridentinum dicit, nullum sive sæcularem sive Regularem absolvere posse nisi sit per examen approbatus, inferre quòd uno in loco approbatus possit ubique absolvere; sive ex privilegio concessis Regularibus, sive ex vi Cruciatæ requirantis unicè approbationem Episcopi. En fermentum, quod ingentem opinionum massam corrumpit; & quidem tam efficaciter, ut teste Urban. VIII. Clem. X. Innoc. XII. absolutiones sub dictis opinionibus date sint prorsus irritæ, inanes, & invalidæ; quare si pietate, & doctrinâ florere semper debuit Confessor; hodie abs dubio, post evulgatâ præcipuè Clem. X. & Innoc. XII. Decretâ, longè maiori, Confessores moderni, sapientiâ opus habent, ne invalide absolvant, ob tot damnatas opiniones ad absolutionem spectantes, & ingentes censuras illis addictas. Nulli ergo quantumvis celebri doctrinâ, & sanctitate Theologo, si aliquas, ut frequentissimè occurrit in eorum lectione in tract. de Pœnitentia, de Cruciatâ, de Regularium privilegijs, sustineat ex subinde damnatis, stari in hac materiâ poterit sine periculo invalide absolutionis. Prodeat modo in lucem Confessor, Latini idiomatis penitus ignarus, & confascinato unius Summule vulgaris farcimine gloriosus. Audiat confessiones: quid non absolvet, et si sit incus damnatarum contra Tridentini interpretationem? quem non absolvet hic, & ubique, et si limitatè quoad personas, tempus, locum approbatus sit? cum tamen non nisi ad exactam approbationis trutinam, juxta Tridentini mentem à Pontificibus expolitam, absolvendi facultas à Diocesano, aut Prelato Regulari concessa sit.

N. 82. Invalide: ergo Regularis aut secularis absolvet faculares non approbatus à Diocesano loci, in quo confessiones audit. Invalide Mendicantes sine speciali pro casibus eo in Episcopatu reservatis approbatione absolvet. Invalide, ut in prolixiori synopsi n. 252. dicam, Regularis, etiam iniuste ab Episcopo reprobatus absolvet faculares. Invalide habens beneficium curatum eliger pro libito Confessorem ab eodem suo Episcopo non approbatum. Invalide Regulares post toties derogata à Tridentino privilegia, & numquam restituta, ut ait Urban. VIII. Alexand. VII. Clemen. X. & Innoc. XII. absolvet. Invalide Confessor cum suo poenitente ad alium transiens Episcopatum absolvet poenitentem, si Confessor ille non sit ab ejus loci Episcopo approbatus. Invalide, cum aliquâ limitatione personarum, loci, temporis, casuum approbati, absolvent alios eâ limitatione non inclusos. Invalide quilibet alibi approbatus poterit vi Cruciatæ eligi ut absolvat in Diocesi, in qua approbatus non est. Invalide ab antecedenti ejusdem Diocesis Episcopo approbatus, poterit, eo mutato, vel vitâ functo, & substituto ejus in locum alio Episcopo, à quo approbatus non fuit, poterit, inquam, vi Cruciatæ eâ in Diocesi, ut antea, absolvere. Invalide Regularis sine Prælati licentiâ absolvet Regulares.

N. 83. Hoc tenaciter tenendum ob aliquos remurmurantes, & Tridentini cortici, non finis nixos, qui asserunt Sacerdotem ab antecedenti Diocesano approbatum, posse substituto novo eam in Sedem Episcopo, sine hujus approbatione, quin cum ejus renitentia, absolvere omnes ut antea. Fundant hanc damnabilem interpretationem in cortice verbali Tridentini. Aiunt vi Tridentini non exigi nisi approbationem à Diocesano, ut deinde Pontifices declararunt, sed absolvens renitente Episcopo novo, cum approbatione Episcopi antecedentis, à quo approbatus in eadem Diocesi fuit, absolvit cum approbatione Diocesani antecedentis; ergo ita absolvens nil contra Tridentinum operatur; & valide absolvit. Consideret Lector perniciosam talium Interpretum animositatem unicè fundari, quod ea opinio non opponatur Tridentino, seu ejus verborum cortici, etsi opponatur evidenter ejus fini. Si illi distinguerent in lege verba a fine legis, nil tale, nec ista, nec alij laxiores protulissent. Audiatur P. Suar. lib. 6. de Legib.

P. Suar. cap. 1. n. 1. & P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. qu. 8. n. 35. esse Theologorum & Juris interpretum regulam, quod mens legislatoris utcumque sufficienter cognita, sit verbis legis præ-

Tom. III.

ferenda. Cui principio Pontifices nixi moti N. 84. fuere ad plurimas deinde similes interpretationes damnandas, & quod mihi maximam vim faciat ad dicendum, se eas damnando inherere Tridentino. Sed quomodo inherere, cum Tridentini verbis non opponantur? Quia tamen opponuntur fini à Tridentino intento, & à Pontificum longè plus, quàm aliquorum interpretum, mente perspecto; ideo Papæ, dum oppositos fini intento reprobant, approbat oppositas in Tridentino latentes. Finis Tridentini fuit reformare tum fidem, tum mores per suos Canones, & Decreta. Hunc finem ut tutius, & securius, & facilius obtineret, ad Episcopos descendit, quorum autoritas, & jurisdic-tio si eludatur, actum de reformatione. Subjecit ergo, quocumque revocato privilegio, etiam Regulares in ordine ad faculares audiendos ipsis Episcopis, datâ (quæ forsan naturæ lege Episcopis, ut Episcopis conveniebat) facultate, ut de vitæ, & doctrinæ integritate Sacerdotum, authenticum, si placuerit, testimonium fumeret. Hic est Tridentini finis, cui Pontifices è supernâ specula definientes inhæserunt: cui fini tuendo si Authores damnatarum invigilassent, nemo eorum tam distonas interpretationes dedisset, nec ex eo quia opiniones eorum non opponuntur verbali cortici Tridentini, docuissent ut practicabiles. Expono. *Tridentinum purè exigit approbationem Episcopi: ergo (inquie-bant) non Diocesani: ergo uno in loco approbatus, est ubique approbatus. Et approbatus pro viris, est etiam pro feminis: ergo nemo iterum examinan-dus: nec non laxillimè æquè ac plurimæ si-miles interpretationes, à Pontificibus præ-tento per Tridentinum sine nixis damnatæ, & deinceps damnabiles.*

Quare tota non errandi in hac materiâ regula, quam Christus Dom. tamquam tecum-85. dam post naufragium Tabulam instituit, est, soli stare interpretationi, quæ Tridentini finem protegit, nempe interpretationibus, Episcoporum jurisdictioni, & Prælatorum Regularium auctoritati prospicientibus; nisi oppositum sit certum. Quam utramque, cum dictæ laxæ interpretationes ferè in totum pessumdarent, adicitis in sui favorem innumeris privilegijs, imo adscriptâ in Cruciatæ Bullâ, quam numquam habuit, facultate, ideo plurimè damnatæ, privilegia derogata à Tridentino, & alijs Pontificibus, & exposita Cruciatæ, quod in ordine ad se subtrahendum à Diocesani approbatione, & eximendi se à fine, à Tridentino, intento, nil prolit, multò minùs Regularibus quoad suos Prælatos. A quâ exemptione tum Episcoporum,

Re

coporum,

vice audiendas approbandus iterum, ut validè eos iterum audiat. Si ergo hæc definita sunt, adeo ut multiplex sæpe sit necessaria approbatio, &c, quod caput est, ab eodem numero Diocesano Episcopo, quanto magis, si non est expressis terminis definitum, erit ex urgentiore saltem identico motivo definitum, quodd mutato ejusdem Diocesis Episcopo nemo validè confessiones audiet, nisi à novo Episcopo approbetur? & multo magis nemo validè absolvet, hoc novo Episcopo reluctante, & antiquas approbationes cassante?

N. 89. Quare audiendi modò non sunt Doctores à Barbosa citati, & non rejecti *señ. 23. de Ref. cap. 15. n. 39.* tuentes Regularem ad eandem Diocesim, in qua approbatus fuerat, revertentem non egere novà approbatione, etsi ejus Diocesis Episcopus mutatus fuerit. Sed audiendi P. Nogueir. *d. 14. n. 184.* P. Fagundes in 2. Ecclesiæ præceptum *lib. 7. cap. 2. n. 26.* P. Bardi *tract. 5. cap. 2. n. 38.* P. Mendo *d. 22. n. 58.* & alij, quin ipse Clemens X. ut dixi. Si enim limitatè ab Episcopo approbati possunt denuo ab eodem Episcopo examinari, nam exemptio à novo ejusdem Episcopi examine subeundo convenit unicè Regulari illimitatè ab eo approbato; quanto magis nullatenus à novo Episcopo approbati, etsi illimitatè ab antecedenti fuerint approbati, possunt à novo Episcopo examinari, quo examine recutato invalide absolvant?

§. II.

Idem intentum contra laxas Cruciata interpretationes.

S U M M A R I U M.

Eadem culpa peccant interpretantes Cruciata, ac qui Tridentinum, n. 90.

Ostendo, n. 91.

Nulla absolutio independens ab Episcopo est valida, etsi detur vi Cruciata, n. 92.

Nulla quoque si sine consensu Prælati detur Religio vi Cruciata, ibid.

Nulla omnes Confessiones, si ve quis absolvat, si ve absolvat, n. 93.

Etsi hæc sint vera, Confessor plura potest vi Cruciata electus, quam non electus, n. 94.

N. 90. Q Uod evenit in laxissimis Tridentini textus interpretationibus, quarum unicum fundamentum fuit, niti puris Tridentini verbis, deluso verborum fine, cum tamen finis legis sit anima legis, hoc ipsum accidit in Cruciata textu interpretando. Dice-

Tom. III.

bant illi Tridentinū unicè petit ut Sacerdos sit approbatus: ergo approbatus alibi potest hic, imò ubique absolvere; & omnes aliæ similes allatæ cōsequentie à Pontificibus damnatæ. Dicunt isti Bullæ Cruciata Relaxatores: Cruciata cuique concedit facultatem eligendi Confessorem à Diocesano, ubi confessiones audit, approbatum, à quo possit à quocumque peccato & censurâ etiam in Bullâ Cœnæ reservatâ absolvi; ergo Regularis habens Cruciata poterit ab omni casu reservato, & censurâ absolvi à quolibet Confessore approbato à Diocesano: & plures similes indignæ illationes à Pontificibus damnatæ. At ut paulò antè evidenter fundamenti nullitatem ostendi, quòd non nuda Tridentini verba, sed verborum motivum attendi debet, quod erat, *Subjectio Confessorum ad Episcopos Diocesim, in quibus absolunt*: quod motivum Tridentini versans ante mentem Pontificum fuit cautâ, ut omnes opiniones laxitate suâ hoc motivum ledentes, damarentur à Pontificibus, quin dicerent se eas opiniones damnare, inherendo Tridentino; nam quia sunt oppositæ menti Tridentini, ideo eas damnant.

Ita in præsentī attendendum est Cruciata motivum, nempe ut purius ad Deum preces fundere possint; & Dei auxilium efficacius implorare. At quis imploret efficacius Deum, & purius preces fundat, deserto Tridentino, ejusque Decreto contempto, novum in Cruciata jus à Tridentino diversum statuendo, cum definitum à Pontificibus Clem. VIII. Urban. VIII. Innocen. XII. sit, nullum novum jus in Cruciata inesse? Quis sequendo opiniones circa absolvendi facultatem laxissimas, & Religiosis Cœtibz, ut ait Urban. VIII. summè præjudiciales, delusa omni Prælatorum Regularum, cui respectivè subditi sunt Regulares, auctoritate, & spiritali conscientie dependentiâ, dixerit penes Deum impetrativas? Quis facultatem absolvendi à reservatis, quam Urbanus VIII. definit, nunquam suffragari fuisse, nec potuisse, nec suffragari posse Regularibus? per quæ verba de præterito ostendit, nunquam concessam fuisse talem facultatem Cruciata: quæ omnia confirmat Innocentius XII. in sua Bullâ, ampliando ad omnes sive seculares, sive Regulares, & motu proprio decernendo, omnem oppositam opinionem, quocumque modo laxantem, quod liceat vi Cruciata absolvi à reservatis ab Episcopo, & à non approbato ab Episcopo ubi absolvitur: & irritas, nullas, inanes tales absolutiones, dixerit esse meritorias apud Deum vota.

Rij

Quare,